Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 321
Quelle:
Copyright:

posicio Apokalipsis. Illa nempe, quae in VII. *Visiones* distincta primum lucem vidit *Parisiis* a. 1548. opera *Cuthb. Tonstalli* Ep. *Dunelm.* e fide Codicis sui eam S. *Ambrosio* tribuentis, adcuratius vero deinceps expensa multo recentior deprehensa, et ab Editoribus *Maurianis* in *Adpend.* T. II. Operum *Ambrosii Paris.* 1690. ad *col.* 497. rejecta est. Multa ejus extare *ms.* Exemplaria, videre est in *Montefalconii Bibl. Bibliotb. MSS. Jamesii Ecloga Oxon. Cantabr. Caveo*, *Oudino*, *Fabricio* &c. Plura horum *Berengaudi*, seu *Berenguidi*, quaedam *Berengarii* autoris nomen praeferunt, alia, quemadmodum praesens nostrum, hanc in Operis conclusione crucem figunt Lectoribus: *Quisquis nomen auctoris scire desideras, litteras expoficionum in capitibus VII. uisionum primas attende. Numerum IIII^or. uocalium, quae desunt, si greca apposueris, est* LXXXI. Incipiunt vero VII. *Visiones* ab his Consonantibus: B. R. N. G. V. D. S. videlicet *Beatum. Ratio. Non. Gratia. Visio. Domini. Septima.* Ut jam numerum LXXXI. graecis Vocalibus conficias, accipe duo ε, unum α, unumque ο, quae valore numerico sunt 5. 5. 1. 70. et coaddita 81. legesque *Berengaudos.* Neque *το ος* te moveat; expresse enim graeca, non latina apponere jussus es. *Henrico Whartono*, qui famosum *Berengarium Turonensem* Operis autorem vult, in *Auct. ad Jac. Usserium de Scriptur. et Sacris Vernac. Lond.* 1690. p. 392. 4. ignorantia aut fraus Monachorum librariorum, quibus invisum erat *Berengarii* nomen, hic subolet. An vero ignoravit Vir doctus, omni aevo extitisse Scriptores, qui nomen suum aut reticerent penitus, aut primis solum literis indicarent, aut fictum assumerent, aut verum certis quibusdam vocibus, aut carminum initiis intexerent? An ignoravit, superesse Scripta, de quorum Autoribus nil nisi nomina tenemus? Ignorantia ait *Berengarii* nomen in *Berengaudum* deformatum. Quid si ex ignotiore *Berengaudo* notiorem *Berengarium* ignorantia factum dicamus? Denique si etiam *Berengarium* adoptemus, an is certo *Turonensis?* Obstrinxisset nos *Whartonus*, si edere aut potuisset, aut voluisset aevum *Johannis Subprioris*, cujus verba: *Nostri quoque temporis Magister Berengarius* &c. p. 393. adfert; vidissemus enim, an de *Turonensi* Sec XI. Scriptore sermo ille fuisse potuerit. Adde praeterea, quae *Mauriani l. cit.* in *Admonitione* conjectant, quibus *Berengarii* ne quidem in mentem venit. Quod porro *Whartonus* censet, Solutionem illam Aenigmatis supra adductam non ab ipso Autore Operis profectam, sed tardius confictam fuisse, ne id quidem exploratum est. Habuerit ille *recentiorem*, ut ait, Codicem *Lambethanum*, cujus fronti ea adscripta sit; at in *vetusto* meo *fol.* 118. p. 2. Peroratio ab ea incipit, et eadem manu continenter procedit: *Ecce quanta breuitate potui hunc librum conscripsi. Obsecro autem te*